



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

79. An si quis probaliter putet se non fuisse baptizatum, possit adhuc recipere Sacramenta? Et supponitur esse iterandos omnes Baptismos sub conditione, in quibus baptizans usus est opinione ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



Sup. hoc no. & illud tegentes. Nota verò, quod baptis- mus in Re- latus in capillis, debet postea reiterari sub condi- tione, ut me citato probat Lugo, ubi supr. n. 10. cum seg. Magist. Serra in 3. p. D. Thom. q. 66. art. 7. Sed quid dicendum, si aqua baptismi solum contingeret unguis? Ochagav. quem citat, & sequitur Leandr. de sacr. rom. 1. tr. 2. disp. 2. q. 24. putant dicendum id, quod dictum est de capillis, sed negat Martin. de Sancto Joseph. 1. lib. 2. tr. 1. de Baptism. n. 12. sicut negat de capillis, fatetur tamen in utroque casu, Baptisum sic collatum in necessitate esse, ut diximus, postea reiterandum sub conditione.

RESOL. LXXVII.

An in mortis articulo infans sit baptizandus in umbilico, per quem a matre fugit infans, & illi conjungitur? Et in dicto casu ita baptizatus, an sepeliendus Ecclesiastica sepultura? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 15.

§. 1. Resolutio hujus casus, accipi potest ex Jacob. Marchant. in Candelabr. Sacr. de re- sol. q. pastor. tr. 2. de bapt. c. 1. g. 1. c. 2. ubi sic ait; Quædam obstitit retulit mihi se; cum non posset extra uterum habere aliam partem, quam umbilicum, per quem infans fugit alimentum à matre, & illi conjungitur, baptizasse infantem in umbilico, an sit validus baptismus? Existimo quòd non, quia umbilicus non censetur pars hominis, ideòque præscinditur. Sed quærebatur, an talis infans deberet privari Ecclesiastica sepultura? Consequenter respondeo videtur, quòd sic. Tamen contrariam opinionem posset quis cum aliqua fortè probabilitate tueri, dicendo umbilicum non minus censerì ali- quid infantis in tali statu, quàm capilli censeantur aliquid hominis, licet sint quedam excrementa, si- cut & umbilicus, & ita sicut per capillos censeatur homo ablutus ( ut multi docent ) similiter videtur per umbilicum dici posse infantem ablui, tanquam per aliquid sui, quia etiam per illum aqua ad corpus infantis censerì posset pertinere. Ob has & similes rationes, quæ affecti possent in favorem pueri, & baptismi dati, non plane condemnarem, si talis sepeliatur in loco sacro, quia valtem apparet aliquod jus ei possit à scribi ratione talis baptismi disputabilis. Et quamvis longè infirmior sit pars favens, cur tamen debeat privari jure loci sacri, nisi manifestè, & irrefragabiliter constet privandum, sive illi tale jus non competeret: Sic ille.

RESOL. LXXVIII.

An qui recipit in periculo mortis Baptisum ex opi- nione probabili, v. g. in digito, capillis, pedibus, ma- nibus, &c. & in materia dubia cum gutta aquæ, &c. deberet, si viveret, iterum sub conditione bap- tizari? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 11.

§. 1. Aliqui videntur negare, quia satisfecit obligationi suscipiendi sacramentum, & ita suscipiens illud juxta sententiam probabilem, & ita ex Vasq. docet doctus Hurr. de sacr. Bapt. disp. 1. c. 12. Sed contrarium videtur omninò verius, nam qui recipit dubium sacramentum, cum teneatur sacramentum suscipere videtur graviter peccare; ergo etiam is, qui in eo dubio permanet. Con- firmatur, nisi moraliter constet de valore baptismi, alia sacramenta facilegè recipientur; igitur ad Tom. I.

hæc sacrilegia impedienda homo tenetur Baptis- mum iteratò sub conditione recipere.

2. Dices, aliquis in sua operatione potest sequi sententiam probabilem; ergo, &c. Respondeo negando consequentiam, & dico, assumptum præsentì proposito minùs solidè applicari: nam cum DD. as- serunt aliquem relicta sententia probabili posse adherere contraria etiam probabili, non volunt id esse verum, quando probabilitas solum versatur cir- ca rei naturam, aut conditionem, sed quando sen- tentia inter se sunt contraria in ordine ad praxim, quarum una asserit aliquid citra peccatum fieri posse, alia negat, in nostro vero casu DD. non cen- sent aliquem (saltem extra casum necessitatis, quan- do sacramentum non potest aliter conferri, vel reci- pi) posse absque peccato conferre, vel recipere baptismum in solo digito, v. g. capillis, manibus, &c. Sed solum asserunt esse probabile talem bap- tismum esse validum, quo non obstante homo pos- test obligari ad suscipiendum iteratò saltem sub conditione, propter rationes allatas; & ita docet Ioan. Præpos. in 3. q. 66. art. 9. dub. 2. n. 101. cum eo etiam adde omninò videndum Ochagaviam de Sacram. Baptism. tr. unic. q. 11. n. 11. & Coninch. de Sacram. q. 66. art. 9. dub. unico.

RESOL. LXXIX.

An si quis probabiliter putes se non fuisse baptiza- tum, possit adhuc recipere sacramenta? Et supponitur esse iterandos omnes Baptismos sub con- ditione, in quibus baptizans usus est opinione pro- babili circa substantialia, v. g. circa formam, ut si bap- tizaret in nomine Christi, vel Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, & sic de aliis formis dubiis. Idem est circa materiam, ut si quis baptizaret cum gutta aquæ, cum lixivio, glacie, rore, vel nive non- dum resolutis; aut si baptizaretur infans non in capite, pectore, aut scapulis, sed in manu, pede, bra- chio, vel alia sui corporis parte. Item si detur solum probabilis applicatio materia, vel forma, aut aliorum essentialium, inter qua inten- tio Ministri est, iterandum est Sacramentum sub conditione. Et in §. penult. hujus Ref. aliqui casus notantur pro baptizatis, à diversis personis, & genitibus in casu necessitatis, in quibus advertitur, quòd Bap- tismus debet iterari sub conditione. Sed jam omnes dicti casus magis latè in suis speciali- bus Resolutionibus in hoc novo Ordine ad hunc tractatum sunt conducti, & in eo pertractati. Sed adhuc super est difficultas, quid præstare debeat Episcopus, Sacerdos, & Confessarius, ita quilibet eorum dubius de suo Baptismo; an Baptisum ite- rari sub conditione necessarium sit? Et quid etiam præstare tenentur, qui Ordines ab Episcopo, & absolutionem Sacramentalem perce- perunt à Confessario de suo Baptismo dubijs? Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 30. aliàs 19.

§. 1. \* Suppono cum omni Theologorum sen- tentia esse iterandos sub conditione omnes Baptismos, in quibus baptizans usus est opi- nione probabili circa essentialia, v. g. circa for- mam, ut si baptizaret in nomine Christi, vel Geni- toris, Geniti, & Procedentis ab utroque, & sic de aliis formis dubiis: idem est circa materiam, si bap- tizet cum gutta aquæ, cum lixivio, glacie, rore, vel ni- ve nondum resolutis; aut si baptizatur Infans non in capite, pectore, aut scapulis; sed in manu, pede, btachio.

in aliis Ref- ejus primas not. & si- gnanter pro prima diffi- c. hujus Ref. in tom. 3. tr. 1. lege à §. Non definit, utque in fi- nem Ref. 3. & hic supra in Ref. 5. §. Nec solus, ad medium, vers sublato tamen. & in fine Ref. 64. vers. cetero- rum.

INTON... Tom. 10 II

\* Sup. his suppositis, & seqq. magis latè in suis specialibus Ref. supra à Ref. 50. ut- que ad hanc Ref. & in tri- bus Ref. seqq. & si- gnanter in Ref. proxime præteri- ta, & in 30. tr. 1. Ref. 3. per totam.



brachio, vel alia sui corporis parte. Similiter si datur solum probabilis applicatio materiae, vel formae, etiam in casu necessitatis, aut aliorum essentialium, inter quae intentio ministri est, iterandum est sacramentum. Hoc supposito, ad propositum dubium sic respondet Dicaillus *tom. 1. de Sacram. tr. 2. disp. 1. dub. 9. num. 216.* qui habet baptismum tantum probabile, eo quod sint probabiles opiniones ex utraque parte, interim circa periculum mortis eadem probabilitate potest aliqua Sacramenta recipere; maxime illa, quae non sunt, aut possunt esse in damnum aliorum, v. g. Matrimonium, Pœnitentiam, Confirmationem, Eucharistiam: hæc enim omnia, interim dum non est periculum mortis qua probabilitate potest se gerere pro baptizato, potest recipere, sicut enim probabile est illum esse baptizatum, & præcisè quantum atinet ad reverentiam sacramenti, non est peccatum; in eo baptismo permanere; eadem ratione non erit peccatum illa facere, ad quae faciendâ jus habet baptizatus; qualis est usus prædictorum sacramentorum; non tamen licet recipere Sacramentum Ordinis. Ratio disparitatis est, quia sacramentum Ordinis, maxime Sacerdotij (de hoc enim loquitur) ex se est ordinatum ad exercenda munera Ecclesiae, quae pertinent ad salutem animarum; qualia sunt, non solum Sacrificia; sed administratio sacramenti Pœnitentiae, Eucharistiae, & Extremæ-Uctionis; & multo potiori ratione, si fiat Episcopus à quo plures alij Sacerdotes ordinentur; in quibus omnibus erit idem periculum cum eo ipso, quod ille non sit certo, sed tantum probabiliter baptizatus, eadem ratione ceteri ab illo ordinati tantum erunt probabiliter ordinandi, solumque erit probabile sacramentum quodcumque ab illis conferatur, quod in damnum multarum animarum vergere potest; atque adeo, licet præcisè propter reverentiam sacramenti esset eadem ratio hujus, & aliorum sacramentorum, tamen propter damnum, quod inde oriri potest, non videtur licitum. Hæc refert, si dicas, posse prædictum iniciandum abstinere ab his omnibus muneribus præstandis, quae vergunt in damnum aliorum: contra hoc enim est, in eo ipso apparere, non levem deordinationem, stultitiam, aut imprudentiam; quod cum facile possit baptizari sub conditione baptismi certo, & indubitato, velit in has tricas se implicare. Præterea, valde absolum videtur, Sacerdotij sacramentum suscipere, cujus nulla munera possit exercere sine aliquo detrimento sui, & proximorum, si enim absolvat alium, maxime in articulo mortis, & quando est alius, qui sine ullo dubio sit Sacerdos, satis constat ex principiis traditis, illum peccare contra Charitatem proximi, quam tanto periculo exponit conferendo absolutionem non certam. Si verò tantum sacrificet, in hoc ipso etiam apparet non leve noxamentum exhibendo Sacrificia dubia in Ecclesia Dei, & quasi decipiendo fideles, qui sæpe alium potius Sacerdotem, & aliud sacrificium, cui interessent, eligerent. Accedit, quod prædicto Sacerdoti non videtur licitum, quantumvis alias apto, admittere munus Parochi, aut alterius habentis curam animarum, cui incumbit ex officio ministrare sacramenta; id enim esset in damnum ovium, quas exponeret, periculo suscipiendi sacramenta, quae forte non sint vera: ergo nec cum animo abstinendi à muneribus, in quibus periculum proximorum esse possit, licebit prædictum sacramentum Ordinis admittere; cum vix imò ne vix quidem possit aliquod munus exercere proprium ordi-

nis, in quo non sit periculum alicujus damni. Hucusque Dicaillus.

2. Notandum est hic obiter, Quintanadveni, *in Theol. mor. tom. 1. tractat. 1. singul. 3. num. 3.* docere quod omnes infantes, & adulti à Paganis, Judæis, Sarracenis, aut Hæreticis baptizati, iterum baptizandi sunt sub conditione. Deinde *in sing. 9. num. 2.* patet, idem dicendum esse de omnibus infantibus à parentibus, cognatis, obstetricibus, vel ab aliis laicis, viris, aut feminis ob mortis periculum, aut aliam causam domi, vel alibi baptizatis, & tandem *singul. 9. num. 3.* docet, Infantem inter Catholicos expositum ad Ecclesiam, vel alicujus domus valvas, scriptum habentem collo appentum, baptismum esse testificans, esse adhuc sub conditione baptizandum; Sed aliqua ex his nimis scrupulosè dicta videntur.

3. Verum, quid dicendum de Episcopo sacerdote, aut Confessario ita dubiis de suo baptismo, ut iterari sub conditione necessarium sit; Quintan. *ubi supra singul. 10. num. 2.* tenet, & bene quod quicumque Episcopus, vel Sacerdos, qui probabiliter, aut prudenter dubius est de sui baptismi valore, omnes ordines susceptos, vel saltem sacerdotalem, & Episcopalem, potest, imò & sub gravi culpa tenetur sub conditione, iterum suscipere. At si autem aliquis curiosus inquirat, quid præstare debeant ij, qui ordines ab Episcopo, & absolutionem sacramentaleni perciperunt à Confessore, de suo baptismo dubii; Pater Quintana, *loco citato singul. 11.* respondet, quod iterari debent sub conditione, tam sacerdotium, quam Diaconatus, aut saltem in omnium sententia sacerdotium est repetendum. Qui verò sacramentaleni absolutionem mortalium receperunt à Confessore, de cujus baptismo dubitatur, repetere debent omnes hujusmodi confessiones; sicut enim ille, de cujus baptismo dubitatur, sub eodem dubij gradu caret potestate ordinis, & jurisdictionis sine qua validè Pœnitentiae sacramentum administrare non valet, sic etiam sub eodem dubio invalidæ omnino sunt absolutiones ab ipso datae, & ita debent hæ confessiones repeti, sicut iterum confitenda sunt peccata mortalia, de quibus dubitatum, an absolute, vel ritè probata sint legitimo Confessario: aliter enim periculo se exponit pœnitens non accipiendi verum sacramentum, & permanendi in mortali. Nec obstat dicere, quod pœnitens potuerit per contritionem justificari; vel confessionem postea factam alteri legitimo Confessario (si forsan prior non fuisset verè baptizatus) quia de priori justificatione quis erit sine metu, cum certus esse nequeat, an ad veram contritionem pervenerit. Nec posterior confessio tollet, quod cum cognoverit defectum primi Confessoris, teneatur repetere confessiones illi factas; sicut tenetur confiteri peccata mortalia, quorum oblitus est in aliqua confessione valida, etiam indirectè ab illis sit absolutus, imò, & illa de quibus dubitat, an confessus fuerit, necne, vel quæ confessus fuerit coram Sacerdote, de quo prudenter dubitat an legitimam habeat jurisdictionem, nisi adesset opinio probabilis, aut cum errore communi titulus coloratus jurisdictionem supplens.

## RESOL. LXXX.

An infans repertus in valvis Ecclesie, vel alicujus domus sit baptizandus sub conditione?

Et